

Boyle in observ. de Adamante in tenebr. lucente, annexis Experim. de Coloribus pag. 347. seqq. qui ipse tamen, commotus præprimis illâ luce, quam per affricum plurimis adamantibus conciliavit, in affirmativam sententiam inclinat, lucentesq; gemmas sine affricu reperiri posse concedit pag. 349. Præterea quoque datur fossile quoddam lucens, quod in Agro Bononiensi Año 1602. primùm à Vincentio Casciorolo Chymico erui coeptum, post & à Kircherò apud Topham in loco, ubi lapides Aluminis, vulgò Alume du Rocca, fodere solent, repertum, de quo præter Licetum de Litheosphoro vide Kircherum d. l. 1. part. 1. c. 8. fol. 26. & Bartholinum l. c. pag. 23. Plura nunc conscribere prohibet festinatio, quapropter ea, quæ de Natura Lucis quoad hæc luminosa corpora dicenda sunt, Posteriori Disputationi propediem, si Deo & Patronis visum fuerit, habenda, reservamus.

Additamenta.

- §. 1. Aristotelicum de mediocritate Virtutum dogma malè impugnatur à Grotio in Proleg. de Jur. Belli & Pac. n. 43. seqq.
- §. 2. Liberalitas & Parsimonia non incongruè pro unâ Virtute habentur ab Aristotele.
- §. 3. Si quis tamen dictas Virtutes ut distinctas considerare vellet, cuilibet earum duo distincta vitia in excessu & defectu peccantia adjungere posset.
- §. 4. Veritatis opposita ex æquo respondentia sunt Jactantia & dissimulatio.
- §. 5. Vitiosa est illatio: si Veritas medium est inter duo extrema, excessus erit, si quis nimium verax sit, non si mentiatur.
- §. 6. Eodem vitio laborat assertum Graswinckelii, in strictur. pag. 33. dicentis, quod circa Justitiam peccari non possit excessu, sed tantum defectu: ea enim, quæ alteri nimio plus tribueret, non esset Justitia nimia, sed ne Justitia quidem.
- §. 7. Licet Virtutes non haberent vitia actu existentia sufficeret tamen ea existere posse.
- §. 8. *Avopnoias* exemplum esse potest Eli, de quo 1. Sam. 3, v. 13.
- §. 9. Contemptus Honorum Voluptatumque neglectus rectè inter vitia connumerantur.
- §. 10. Superstitio & à Veteribus pro vitio habebatur, teste Cicerone de Nat. Deor. lib. 2. p. m. 310.

F I N I S.

Physica 250, 60